

G. A. 24
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

PF-37

SIGNAT. *cis 15 CCCXIII.*

54

JN NOMINE JESU,
SPECIMEN ACADEMICUM,
DE
VIRTUTE HEROICA,
In celeberrima Philurea,,
Indultu & Autoritate
Ampliss. Facultatis Philosophicæ,
PRÆSES
M. GEORGIUS LANI, Hung.
Exul Christi, ex Captivitate
Papistica liberatus
RESPONDENTE
TOBIA Schmidt / Stolbergâ-Misnico,
SS. Theol. Cultore.
Publicæ Philosophorum Censuræ
subjicit,
Anno Æræ Christianæ
M. DC. LXXVI.
die 23. Mensis Septembris.



LIPSIAE,
Typis JOHANNIS WILHELDI KRÜGERI.

2765
hab. 9.

Redivivis
HUNGARIÆ MARTYRIBUS,
Dei munere ex magna tribulatione (α) Triremium
Neapolitanarum in Terram Viventium (β)
redeuntibus.

VIRIS

Reverendâ Dignitate, laudandâ Pietate, admirandâ
Constantiâ & stupendâ Patientiâ Clarissimis
DN. DN. DN.

SAMUELI NIKLETIO, Uybanensis,
NICOLAO LEPORINI, Poltariensis,
BALTHAZARI NIKLETIO, Strihoviensis,
STEPHANO SEDENI, Dorgiciensis,
NICOLAO BUGAN, Gemeriensis,
TOBIÆ MASNITIO, Illaviensis,

Ecclesiarum Evangelicarum
Pastoribus.

M. THOMÆ Steller / Neosoliensis Gymnasii Con-R.
JOHANNI SIMONIDI, Brisnensis Scholæ Rectori.

Omnibus CHRISTI JESU Aseclis fidelissimis,
Suis antidhac Sympalæstritis zelosissimis Synathletis
invictissimis,

Hoc ἀσημα Academicum
Cum voto omnigenæ Beatitudinis
publico pegmate

In

Debitæ observantiæ ἑκμήγειον
Optatæ aggratulationis μυημένον
Miserandæ denique fortis σωθίριον

gratulabundus consecrat
PRÆSES.

(α) Apoc. 7.14.

(β) Psal. 116.9.

προοίμιον.



Agnū illud Africæ decus atq;
illuītrissimū Ecclesiæ Catholicæ luminare
S. Augustinus varias virtutum species peni-
tiore mentis indagine ruminans hoc ver-
borum ambitu easdem in Epistola ad Ma-
cedonium comprehendit, inqviens: *In hac*
vita virtus non est, nisi diligere, quod diligen-
dum est, id diligere, Prudentia est, nullis inde averti molestias, Fortitu-
do est, nullis illecebris, Temperantia est, nullâ superbiâ, Justitia est.
Qvibus verbis augustissimus Patrum innuit omnes virtutes non
secus ac quodam glutino coagmentatas ita sibi cohærere, ut
qui unâ destituitur, omnibus careat, qui verò unam possidet,
omnium possessor esse credatur, ad eundem ferè modum, quo
Megalander Lutherus fidem unam copulativam appellare solitus,
omnes Fidei articulos velut in catena annulos cohærere dixit, ita ut
facta unius solutione totam compaginem protinus dissolvi necessum fuerit.
In Confes. Min. Tom. 8. Ien. Germ. Qvare omnes homines
summâ ope niti, decet in semel proposito virtutum stadio
ἀπαύσως currere, quo earundem ἀνηψία faustis auspiciis tan-
dem attingant.

Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit.
At qui desidiam, luxumq; seqvetur inertem,
Dum fugit oppositos incantâ mente labores,
Turpis inopsq; simul miserabile transfiget & vum.

Suffragante Virgilo de Litera Pythagoræ. Agedum operæ
pretium facturi. *Naturam virtutis Heroice altius impræsentiarum*
αὐτῷ βεβηπisitemus. Sit igitur,

A 2

SECTIO

SECTIO I.

Θεῖα.
Thesis I.

Datur virtus Heroica.

Ενθεσις.

§. 1. Ne nobis occinatur illud Aristenæt. ex lib. i. Epist. 28. πρός κενήν Φάλλεις primum nobis studium & cura sit oportet, hujus *virtutis*, qvam sumus contemplaturi, Existentiæ evincere. Dari autem virtutem Heroicam probat I. *Virtutis graduum inqualitas.* Sunt enim qvædam ex illis inferioris conditionis, qvæ nomine Semivirtutum gaudent, ut sunt *Continenția* & *Tolerantia*; qvædam mediocris dignitatis, qvæ *Virtutes Speciales* seu *Perfectæ* appellantur ex. gr. *Fortitudo*, *Temperantia*, *Justitia* &c. quidni igitur detur, qvæ suum teneat virtutū fastigium? vid. Piccol. grad. 3. c. 1. Qvos virtutum gradus egię adumbravit *Sagittarius Exerc. Eth. exot. 16.* hoc simili: *Infra mediocris virtutis qui consistunt conditionem, erunt Baccalaurei, in communi mediocritate, qui sunt constituti Magistri aut Licentiatii. In summitate verò & Heroica eminenia, qui jam fulgent, erunt Doctores. Imò lumina mundi, qvoniā splendore totus ille illuminetur & ipsi solo Jove sint minores.* Hac ille.

§. 2. Prob. 2. *Exemplorum pluralitas*, qvæ historiarū supeditant annales. Multa perseqvi non est animus. Contemplare autem ex Sacro Codice abrahami & Salomonis Prudentiam, Moys constantiam, Davidis, Josuæ & Simsonis Fortitudinem, Joh. Baptiste Temperantiam, Josephi & Susanna Castitatem. In profanis historiarū monumentis mirare fortitudinem *Alexandri M. Horatii Coclitis*, *Mutii Scævole*, *Tercentorum sex Fabiorum*, *M. Attilii Reguli* &c. *Scipionis Africani* & *Maximiliani Imperatoris* temperantiam, liberalitatem *Ptolomæi Philadelphi*, *Cyrimanimitatem*, *Socratis* modestiam, *Justitiam Aristidis*, *Comitatatem Trajani*. &c. Ex nostro seculo intuere *Megalandrum*, *Lutherum*, *Gustavum Adolphum* Regem Sveciæ, & qvos ex amplissima Venetorum Republ. semper virgine cumulatim ut ocularius testis producit Piccol. c. ii. p. 546.

§. 6. Pro-

§. 3. Probat 3. Philosophi Autoritas. Ille enim hujus virtutis
disertissimè meminit lib. 7. Eth. c. i. dum eam ἡνὶ υπὲρ οὐμᾶς ἀγε-
τὴν ἡγωνικὴν τινὰ καὶ θεῖαν appellavit.

Thesis II.

Virtus Heroica est excellentissimus animi
habitus, qvibusdam hominibus divinitus
concessus, ad expediendum ea, qvæ vi-
ribus humanis expediri nequeunt, Eccle-
siæ & Reipublicæ bono.

Expositio.

§. 1. Cum absg. definitionibus disputare nihil aliud sit, quam
sine fundamentis edificare, inquit Tullio lib. 1. Offic. & 2. de
finib. operæ pretium esse duximus, mox in limine hujus tra-
ditionis telam à definitione auspicari. In hac autem expo-
sitâ Onomatologiâ progrediemur post ad Pragmatologiam. Virtutis
vocabulum non à *Vi* dicitur, uti Durando placet, nulla enim
vis seu violentia in virtute est, sed à *Viro*, quem maximè Virtus
decet. Cic. lib. 1. Tuscul. qvæst. Vox autem *Hæwin* derivatur
απὸ Ἡέων h. e. ab amore vehementi & ardente virtutis ac
veritatis, (alias etymologias, quas concessit Piccolomineus &
ex eo Sagittarius, studio præterimus) quia per hunc amorem He-
ros Deo quasi similis redditur, quatenus præclaras & genero-
sas actiones supra communem hominis conditionem ex se
edit. Unde erroneam esse Poetarum rationem pronunciamus,
quâ *Heroas*, carminibus heroicis à se decantatos, ex amore
Deorum & hominum oriri fabulati sunt, id quod & *Platonicis* pla-
cuit, si Franc. Vales. c. 8. de sacr. Phil. adhibenda fides, qui
ex Dæmonum seu geniorum & hominum commixtione Hero-
as ortos delirarunt, quod phantasma ad nauseam usque de-
nuò recoxit *Francis. Georg.* tom. 1. probl. 54. & tom. 6. probl. 330.
331. Oscè scribens; *Dæmones esse corporeos, babere proprium semen,*
posse concubere, generare. Cujus quisq; viliis breviter opponi-
mus illud: *Τό πνεῦμα σάρκα καὶ ὄστα ἐνέχει.* Luc. 24. 39. Gene-
rare igitur nequit.

A 3

§. 2. Vox

§. 2. Vox *Herois* est ambigua. Sumitur enim (α) vel *Theologicè* vel *Philosophicè*. Priori modo sūptaqvatē à Deo singula-
ri gratia & dono infunditur nec humanis comparatur actioni-
bus, prædicatur de iis, qvi eminentiâ & splendore *Virtutum Theologicarum*, ut sunt: vera Dei dilectio, fides, spes, charitas, patientia, constantia &c. communem hominis conditionem superant, ad qvorum catalogum referuntur *Martyres*, qvi in palæstra spirituali cum Sathanā cæterisqve hostibus animam potentibus super cœlestis doctrinæ veritate & divinæ voluntatis observatione ad sanguinem usq dimicantes (Ebr. 12. 4.) à suo proposito ne latum ungvem se dimoveri patiuntur. Qva-
les erant olim fratres *Maccabai*, *S. Stephanus*, *Apostoli*, *S. Lauren-
tius* & *Athanasius*, qvi licet morte violentâ non fuerit sublatus vere tamen Martyr à Theologis dici meruit ob animi sui in-
persecutionibus Constantiam. *Martyres* enim sunt, definien-
te Mycrælio Synt. Hist. lib. 2. Sect. 1. qui tormentorum savitiam
sive morte sive CONFESSIONIS CONSTANTIA superarunt.
Qvando Philosophicè sumitur, rursus consideratur (β) vel Genera-
liter, qvatenus cuvis in aliqua re vel leviter etiam excellenti attribuitur, ex. gr. *viro bono aut Domino*, unde Horatius in art.
Poët. *Davuene loquatur an heros? it. Qvicung abibebitur heros.*
vel *Speciatim*, adeoq; Ethicè, qvat. prædicatur de iis, qvi virtu-
tum actionibus supra humanam conditionem industriam &
Vires positis prædicti alios in sui admirationem rapiunt, qvæ significatio propriissima est hujus loci. Et hoc modo sumpta
Virtus heroica rursus (γ) vel est *Intellectualis*, qvæ reperitur in
excellenter doctis & sapientibus, præsertim verò disciplinarum
inventoribus; vel deniq; *Moralis*, cuius exempla apud Plutar-
chum innnumera reperies.

§. 3. Genus hujus virtutis est excellentissim⁹ animi habit⁹, qvod & ipse Aristoteles non abnuit lib. 7. Eth. c. 1. cum eandē appellat θειαν καὶ ἵμωτερον τῆς ἀρετῆς ὑπερβολήν. Qvà prædicti θεῖοι ἄνδες appellari solent. *Forma* seu *differentia specifica* sumitur à causis, *Efficiente*, *Materia* & *Fine*. Efficiens est DEUS, qvod sic intellectum volumus, non qvæ omnia excludantur humana eam acqvirendi media (famulantur enim huic virtuti qvam maxi-

maxime 1. *Commoda Parentum generatio & institutio.* 2. *optimum natura temperamentum*, 3. *vehementissimus ad summa impetus*, 4. *fla- grantissimus honesti amor & Zelus*. 5. *Exercitatio*, 6. *Cum bonis con- versatio & denig₃* 7. *amplissima fortune munera*) alias *Virtus Mo- ralis* non esset, sed quia communibus virtutum requisitis acce- dit singularis afflatus, *instinctus ductus & divinus*. Nam Heroes ea ef- ficiunt, quæ nullus communi virtute præstat aut præstare un- quam potest.

§. 4. Hinc tres partes *Essentiales Virtutis Heroicæ vulgo statuuntur* (α) *Impetus extraordinarius seu raptus diuinus ad magni momenti rem magno animo conficiendam*. (β) *Constantia summa* & (γ) *Felicitas incredibilis*, quæ tria Julius Cesar sic effatus est: *Veni, vidi, vici*. *Impetus* hicce est vocatio divina, seu singulare, *Donum Dei*, quemadmodum *Lutherus* talifuit impetu prædi- tus, quando suscepit reformationem religionis. *Constantia* est, quâ heroes sic à Deo confirmantur in suo proposito, ut nullis minis, machinis, tormentis & procellis à suo cursu dimoveri se patiantur, omnia terriculamenta pro brutis fulminibus re- putantes illudq; animo revolventes: *Fulgura ex pelui non metuo*. Hanc constantiam sequitur *admirabilis felicitas*, quâ præter o- mnem hominum spem è maximis difficultatibus fortissimè elu- ßtantur Heroes metamq; felicissimè attingunt. Qvocirca non sufficit magna moliri. Hoc enim temerarius & audax facere pot- est. Sed oportet, ut eventus respondeat conatui. Hinc re- Etè dicitur: *Herculis cothurnos non posse aptari infanti & Herculeos la- bores, Herculis clypeum, Herculis denig₃ columnas requirere nonnisi Her- culem*. Qvò enim bonum quoddam est excellentius, eò & inven- tu rarius, id qvod suo in *Aureo Ramo* depingunt Poëtæ. vid. Vir- gil. 6. *Æneid*. *Signa Heroicae naturæ Physica* quænam sint, consule Alstedium in *Encyclop.* lib. 6. phys. part. 6. c. 15. p. 651.

§. 5. *Materia* hujus virtutis ut & aliarum nonnisi solo in- tellectu percipi potest & investigari. Est autem illa vel *Obje- ctus* vel *Subiecti*. Illa est vel *communis* ut *afflus*, vel *propria*, scil. omne reliquarum virtutum objectum sed excellentius. Hæc est *ap- petitus* animi sensitivus, cuius perturbationes modo quodam heroico

heroico moderatur. Soli autem homini hæc virtus competit, non
Brutis, licet vestigia ejusdam, imprimis animositatis in iisdem
etiam nonnulla conspicere est, quæ tamen Virtutis nomen,
minimè merentur, nedum heroicæ. Neq; etiam *Angelis*, quo-
rum uti essentia, sic & operationes hæc humana, quamvis præ-
clara & magna facinora, tantis superant parasangis, ut easdem
nostræ rationis decempedâ in artibus hisce metiri nec possimus,
nec debeamus.

§. 6. Non sine causa verò particula αΦοριστική Κνιδαμ, definitioni huic inserta est. Ea enim innuitur Deum certis dun-
taxat temporum intervallis heroica excitare ingenia, quibus equeas in-
serit vehementiores, aciores & alacriores, ipsiisque oportunita-
tes, successus, & felices exitus concedit & largitur, quoties
scil. ipsi visum sive hominum mores reformari, sive magnam Rerū
publicarum fieri catastrophē. Exemplo sint *Moses*, *Josua* & *Samson*
reformatores Israelis, *Cyrus* liberator Judæorum, *Alexander M.*
reformator luxus Persici, *Julius Cæsar* autor Monarchiæ quartæ,
Constantinus M. primus orthodoxæ Religionis defensor, *Carolus*
M. Germaniæ reformator. Hinc recte *Alstedius* l. cit. *Virtus heroica*,
inquit, interdum est flagellum, interdum flagellum Dei. Heroes enim
virtute sua bonos juvare, malis autem nocere eosq; impedire solent.
Sic *Atila* Rex Hunnorum veniens è pugna Catalaunica eversu-
rus reliquias Galliæ urbes interrogatus à D. Lupo Trojæ antisti-
te: Qvisnam is esset, qui tot Regibus devictis cuncta vi sibi
subderet? Ego, inqviebat, sum Rex Hunnorum flagellum Dei. N. Olaus
c. 9. in *Atila*. At *Cyrus* fuit nutritius Ecclesiæ pius, felix & augustus.

§. 7. Ex dictis jam constat, quinam sit Finis hujus virtutis.
Summus eqvidem & primarius est *Gloria Dei*; *Intermedius* a. est
Ecclesiæ & Reipublicæ salus. Dicuntur virtutes heroicæ Ethnicorū hoc fine
desiutas fuisse, eo quod Ethnici suam propriam gloriam &
laudem quæsiverint. E. Resp. 1. Error hominum non tollit rei
substantiam. 2. Contrarium appareat allatis Exemplis *Atila* & *Cy-
ri*, de quo posteriore hæc sacer habet codex: Sic ait Iebova in dō
suo Cyro, cuius confirmatus sum dexteram ad sternendum coram eo
gentes &c. Item: Edicturus sum Cyro, pastori meo, ut omnem delecta-
tionem meam perficiat. Es. 44. 45. Thes.

Thesis III.

Virtus Heroica habet sua Extrema partim in Excessu,
ut Feritas seu Bestialitas, partim in Defectu, qvod
est Ignavia.

Ενθεσις.

§. I. *Feritas* est summum vitium, qvo homo summâ ac nefandâ vitiorum turpitudine in belluam fere degenerat. *Ignavia* est summum vitium, qvo homo ab honesta actione plane abhorret. *Distinguendum* autem hic est inter *Feritatem moralē* seu affectatam, accersitam ac culpabilem, qvæ alias *Conscientiae dedolentia* secundūm omnia vitiorum genera audit; & *Feritatem Miserabilem*, qvæ est morbus ex lœsione & corruptione temperamenti profectus, qvalis est *phreneticorum* ac aliorum *melancholicorum*, qui absurdas imaginationes & phantasias sibi fingere solent, utpote dum aliqui *cæli ruinam* metuunt & ideo fugam meditantur, Cœl.lib. 17. lect. ant. c. 2. qvidam in *figulinum vas* se transmutatos putant, Gail. 2. de loc. aff. qvidam in *Lupos, cuculos, gallos* se conversos arbitrantur, qvemadmodum varias istiusmodi phantasias recenset Joseph. *Quercetan.* in diatrib. polyhist. S. i. c. 9. Qvo pertinet etiam *λυκαιοπία*, qvæ est exuberantia atræ bilis, ejusmodi phantasmata ciens, qva de re consule Wier. de præstig. dæmon. l. 3. c. 10. & Camerarium cent. i. c. 72. ut & Gregor. Horstium hanc materiam ex professo tractantem lib. 2. nobil. exerc. 9. q. 9. & qui primo loco ponendus erat, Excell. nostrum Dn. Thomasium in peculiari dissertat. de Transformatione Hominum in bruta. Non hæc posterior, sed prior h̄ic in διάστηψιν cadit, qvatenus est exuberantia & eminentia vitii moralis. Hujus furfuris erant olim *Absolon, Nero, Caligula & Hatto Episcopus Moguntinus*, qvitempore famis exortæ multos mendicos horreo inclusos crudeliter combussit, eorum ejulatum voci murium æqviparans, sed qui à tergo suam mox sensit Nemesin. Tertiò enim pontificatus sui anno murium turba tantis eum, afficiebat molestiis, ut nusq' am ei tutus daretur locus, qvantumvis munitus. Turrim deniq' in ipso Rheni flumine extruxit, ibi se liberum fore sperans. At bestiolæ illæ transnatando Rhe-

B

num

num (mirabile dictu) turrim conscenderunt, ipsumq; Episcopum suis morsibus enecuerunt, ejus qvoq; *nomen* parietibus & chartis inscriptum divinâ ultione abradentes, referente *Honio* in Floribus & *Tribemio* de rebus Hirsangiensium. Multis hæc quidem fabulosa habentur, at *turris* illa, cui à muribus nomen est, in hunc usq; diem in Rheni flumine conspicitur ac de tanta Episcopi immanitate testimonium perhibet. Ejusmodi feritatis exempla conspectiora fuere etiam *Gigantes*, *Titanes* & *Cyclopes*, unde illæ phrases extiterunt: *Gigantizare*, *Gigantum pugna*, *Gigantum arrogancia*, *Titanicum tueri*, id est tragicum, *Titanicus aspectus*, *Cyclopica musica*, *Cyclopica vita*, *Cyclopicum monstrum*, *Cyclopum more*, *Cyclopicus obtutus*, *Cyclopum donum*, *cyclops excavatus*. &c.

§. 2. Alterum hujus virtutis extremum à plerisq; Philosophis præteritur, fortè eâ de causâ qvia est rarissimū & non nisi in stupidos atq; insensatos cadit. Unicô exemplo eam delineabimus. Narrant qvippe Historici in *Elio Hadriano Cæsare* tantum ingenii vigorem atq; memoriae enituisse, ut uno temporis articulo, scribere, dictare, audire & cum amicis conferre potuerit, qvem cum Poetarū quidam ignavus his versibus pupugisset: *Ego nolo Cesar esse*, *Ambulare per Britannos*, *Scythicas pati pruinas*; Is cynicam ejus simulationem deridens animo heroico dūq; φωει respondit: *Ego nolo Florus esse*, *Ambulare per tabernas*, *Lacitare per popinas*, *Culices pati rotundos*. Sentiebat qvippe optimus Imperator, honestas occupationes turpi otio atq; ignaviæ præferendas esse, à temploq; *Virtutis ad templum Honoris viam esse strata*. Unde Poëta:

*Quisquis apes undasq; timet, spinasq; roseti
Non mel, non pisces, non feret ille rosas.*

Thesis IV.

Ηρωῶν τέκνα πήματα.

Εὐθεσίς.

§. 1. Græcorum hoc olim erat proverbium, qvod Latini sic interpretantur: Heroum filii noxæ. Id autem non ἀπλῶς & universaliter, sed solum συμβεβηκῶς & particulariter accipiendum esse docet nos Poëta Horatius, dum sic canit: *Fortes creantur fortibus ac bonus. Est in Juvencis est in equis Patrum Virtus, nec imbecillens feroceſ*

feroces Progenerant aquila columbam. Contrarium etiam demonstrant exempla Deorum, Fabiorum, Scipionum, Pisonum &c. in quibus virtus Majorum velut jure hereditario in Posteros quoque propagata est. Sic cernimus hodiendum in multis clarissimis & spectatissimis Familias heroica Parentum ingenia in furculis elucescere suis.

§. 2. Accidit autem plerumque ut Filii a suis degenerent Parentibus juxta illud Homeri Odys. 5. *Equam rara patrem soboles, sed plurimi ab illis Degenerant, pauci superant probitate Parentes.* Sic filios Jacobi, Davidis, Salomonis &c. longe a tramite institutorum Parentum deflexisse, quis ignorat? Causas hujus rei varias variis afferunt. Nos missis verborum ambagibus id ipsum imprimis pravae Parentum educationi ex nimia *Φιλοσογγια* promananti (juxta illud: *Blanda Patrum segnes facit indulgentia natos*) & divitiarum argopum multitudini adscribimus. Fit enim plerumque, ut Heroum & Magnatum liberi autoritate & divitiis ad omnis generis libidinem & petulantiam abutantur.

Thesis V.

Heroum exitus plerumque sunt funesti.

Επεσις.

§. 1. Sæpe infelices & tristes esse *Heroum exitus*, testantur historiarum pandectæ. Quemadmodum enim ex Galenorum suffragio constat, Corpora *ευέλινα* seu optimæ constitutionis semper facilius ad morbos tendere, iisq; citius fieri obnoxia, quam quæ in medio consistentia aliquid extremorum participant; Sic & Heroës in supremo Jovis, ut ita loqvar, residentes solio solisq; impositi currui, quid tandem cum Hebe aut Phaëtonte aliud, quam interitum & ruinam expectare poterunt? Hinc Poëta: *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Causam si quæras, est ea partim *intra*, partim *extra* Heroem. In heroe reputatur sæpe (*a*) *Culpabilis animi elatio & prapropra Audacia*, quam nimium suis confusis viribus prosperoq; in aliis casibus successu elatus non raro majora viribus tentat, atq; sic extra rectæ rationis orbitam raptus seipsum in miseriarum abyssum præcipitat, Deo insolentiam & fastum puniente. Unde rectè Horatius Od.

io. Sopius ventus agitatur ingens Pinus, & celsa graviore casu De-
cidunt turres, feriantq; summos Fulmina montes.

§. 2. Altera causa interna (β) est variorum vitiorum sentina,
qvibus s̄æpe delectatur heros, qvia juxta Platoni sententiam,,
summa ingenia summis plerumq; VITIIS laborant, adeò, ut qvi in una
virtute excellit, in alia prorsus succumbat, exemplo Herculis, qvi
omnium Poëtarum consensu Heros salutatus est ratione For-
titudinis, qvi tamen in aliis omnium inventus est pessimus, in-
primis in Incontinentia, unde ortum illud: *Et Hercules sua ser-
vivit Omphale*. Vid. Pindar. in olymp. od. 2. Quid jam dicam
de Alexandro M. qvi fortitudine suâ orbem domuit? Eundem
Libido & Ebrietas non secus atq; Tauri & Dracones illi Colchici de
supremo felicitatis gradu præcipitem dederunt, ut *Curtius & Se-
neca* præter alios memorant. Longum foret commemorare sin-
gulos sive veteris sive recentioris ævi Heroas aliás ab omnibus
encomiis plusq; vnam Platonicis commendatos, qvi vel à fatuis
umbratilis gloriolæ igniculis decepti, vel aliorum vitiorum pra-
vorumq; affectuum turbinibus abrepti adeoq; nonnisi propriâ
suâ culpa in inexplicabilem ærumnarum labyrinthum incide-
runt, sic ob pudendas animi sui labes iratam experti Nemesis.
Plura hujus generis exempla qvi desiderat, evolvere potest non
minus elegans qvam eruditissimum Scriptum *Theopbili Spizelii*, cui
titulum præfixit: *Felix Literatus &c.* ubi non paucos præclaris a-
nimi dotibus pariter ac fortunæ novercantis ludibriis illustres
viros in apricum produxit.

§. 3. Causa funesti Herorum exitus Externa est summa Ho-
minum malevolorum Invidia, qvæ virtutis semper comes est. Hæc
enim Furiarum s̄ævissima nullum non interdiu noctuq; movet
lapidem, ut qvos in altiore constitutos esse loco cernit, isto qvam
possit citissime dimoveat. Testimoniorum passim abunde est.
Ita Zoilus Homerum luminibus suis officientem etiam post fata-
infestavit. Pindarus Amphimacho, Simonides Timocreonti, Vir-
gilius Mævio atq; Bavio exosi fuere. Tales famæ vespillones
Lavernionesque, Socrates & Anaxagoras experti sunt, ille Antio-
chum Lemnium, hic Sosibium, à qvorum insidiis haud immu-
nes

nes erant. vid. Diog. Laërt. lib. 2. in vit. Socrat. Quid dicam de
Pollione Asinio? Is tantum in scelestissimo sui abdominis Coryto
adversus nomen Ciceronianum conceperat odium, ut laudes
eius ferre imò audire neq; viverit, referente *Quintiliano*. *Boxbar-*
nius narrat in hist. univ. p. 955. de efferatis *Vairomastigibus*, eos ni-
hil intermisso eorum, qvibus fieret, ut insignis ille artium &
literarum amœniorum restaurator vel ad perpetuos carceres
damnaretur, vel capitis supplicio libertatem dicendi expiaret.
Et certé præsentissimum *Laur.* *Valla* famæ pariter ac vitæ discri-
mē incurrisset, nisi fortunatâ ingenii sui promptitudine necnon
singulari amicorum (adversus injurias insidiasq; omnes illum
masculé defendantium) favore atq; studio antea se præmunivis-
set. Tām immodica videlicet est invidis rerum temporalium cu-
piditas ut semper magis ac magis extimulentur ad inviden-
dum *alienæ prospéritati*. Nam dicente *Gregorio*, difficile admo-
dum est, ut qvis hoc alteri non invideat, qvad ipse adipisci ex-
optat. Hinc Poeta: *Invidus alterius marcescit rebus optimis.*

SECTIO II.

Epiſtūn.

Quæſtio I.

An Virtus Heroica à Morali differat species?

§. I. Affirmant Thomistæ Doctorem suum *Angelicum* sequentes in
1. part. secundæ qvæſt. 54. art. 3. Nos negativam sententiam tue-
mur his moti rationibus: 1. Q. tantum ut magis & minus differunt,
ea species non differunt. At qvi virtus heroica &c. E. Maj. qvia Non vari-
variant speciem plusq; minusq; suam juxta Logicorum axioma. Min.
qvia virtus heroica tantum gradu differt à communi virtute,
non secus ac fervor à tempore, cùm nihil aliud sit, qvam com-
muniū virtutum culmen, apex, splendor & suprema perfectio.
Unde virtus heroica datur per omnes virtutis moralis species,
ut qvando dicimus *Justitiam*, prudentiam, temperantiam he-
roicam. Sic Aristides fuit præditus *Justitia heroicā*, Salomon
prudentiā heroicā, Johannes Baptista *heroicā temperantiā*. Heros
scil. est veluti *Pbarus* in hoc vel illo virtutis genere splendidissi-
ma.

B 3

ma. 2. Q. idem est objectum speciale, ea specie non differunt. *Virtus heroica & moralis idem &c.* E. Maj. extra controversiam est. Min. patet inductione exemplorum. *Fortitudo communis* definitur à Piccolomineo, quod sit moderatio formidinis & confidentiae erga ea terribilia que ad salutem pertinent corporis, appetitui irascibili competens ut inde honeste prodeant actiones. Eandem definitionem admittit quoque Fortitudo heroica, idem specie utraqve habet, objectum ex Aristotelis sententia. Eodem modo se res habet, in Temperantia, Justitia & similibus. Hinc 3. Q. definitione sunt eadem, illa specie non differunt. *Virtus heroica & Moralis. &c.* E. Maj. est certa. Minor ex dictis patet.

§.2. Pro decisione argumentorum adversariorum observanda est distinctio inter differentiam στοιχῶς sic dictam seu Essentialē, quæ fit per interna principia, ipsam στοιχίαν & quidditatem rei concernentia; & inter differentiam ναῦται συμβεβηκός dictam seu Accidentalē, quæ fit per externa accidentia, materiem saltim externe attingentia. Qvod ad prius, certum est virtutem heroicam à Morali non discerni specie, qvoad posterius discrimin illud claram & perspicuum esse non imus inficias.

Quæstio II.

An virtus heroica cadat etiam in fœminas?

§.1. Negare id videtur Aristoteles, dum ait lib. i. c. 4. nullā ratione hanc mulierum esse virtutem. Et ut taceam monstrosas quorundam Philosophorum veterū opiniones de gynæcocratia, sparsæ sunt ante paucos annos chartæ cuiusdam tenebrionis, qui mulieres ex hominum censu eximere conatus est, sed ei se masculè opposuit, Simon Gediccus. Nos missis ejusmodi philiariis affirmativæ asurgimus, his ducti rationum momentis. i. Quia sunt rationis complices & quam plurime literis leguntur imbute. Corinna cum Pindaro carmine certavit. Suid. *Aphasia* Philosophis palmam præripuit. Plato in Sympos. De *Hipatia* idem testatur Socrates in tripart. i. ii. c. 12. vid. Tirquet. leg. conn. ii. ubi prolixum literatarum fœminarū texit catalogum. Nec desunt tales nostro quoque seculo ut videre est in peculiari disputatione sub præsidio Exc. Dn. Thomasii habita. Qvod si igitur natura fœminam facit solerterem, industria literatam, educatio piam, experientia sapi-

sapientem, qvidni & Heroinam? 2. *Qvia in istas cadit feritas,*
id qvod Juvenalis hoc versu innuit Sat. 3. *Vindicta Nemo magis*
gaudet, quam fœmina. Jam verò, opposita in eodem subiecto
nata sunt fieri. 3. *Exemplis id demonstratur.* Agmen dicit in pro-
fanis meritò *Penthefilea* Regina Amazonum, qvam ideo Achilles
in Scammandrum fluvium præcipitavit, qvod naturæ sexusqve
conditionem superare fuerat ausa. Dict. Cretens. lib. 4. de bell.
Trojan. Fortissimæ bellatrix fuit *Artemisia* Cariæ Regina. Herod.
lib. 1. *Polyan.* ut & *Manicia* Saracenorum Socr. l. 4. c. 36. Semirami-
dem feliciter pugnasce afferit Diodor. l. 2. c. 5. In sacris literis
celebratas *Deboram* Jud. 4. 4. *Jaelam* Jud. 4. 21. *Juditham* Judith.
c. 13. qvis inter Heroinas non annumeret?

§. 2. Et qvid pugnam⁹ veterib⁹, cum recētiora habeam⁹ exēpla.
Elisabetba Regina Angliæ sui ingenii acie & animi magnitudine
omnes in sui rapiebat admirationē. Conf. hac de re D. Strauch in
Continuat. Joh. Sleidan. it. Strad. dec. 2. l. 9. Thuan. l. 89. Meteran.
Talis qvoqve fuisse celebratur *Margaretba* Waldemari III. Daniæ
Regis filia, qvæ Aqvino Norvegiæ Rege mortuo regni mo-
derabatur gubernacula. Hanc Dani ut Deam aliquam venera-
bantur, Sveones instar dæmonis detestabantur, referentib⁹ Joh.
Magno l. 19. & 20. & Crantio lib. 5. Svetiæ. c. 35. Heroinarum
qvoqve catalogo inseritur à qvibusdam *Johanna* *Anglicana*, qvæ
omnibus virilis sexus dotibus ornatissima virilem mentita se-
xum anno qvinquagesimo qvinto supra octingentesimum una-
nimi Cardinalium consensu Papa Romanus creata est. Hæc ad-
missio in familiares complexus Amasio suo postqvam gravidum
gessisset uterum ad processionem egressa in via publica enixa-
(unde 9. P. Romæ Saxo incisa qvidā sic interpretatus: *Papa, pater*
patriæ, peperit parvum puerum prope portam Petri) & unacum fœtu
extincta est. Perfrictæ qvidem frontis Esuitæ commentum hoc
esse clamitant, sed verā esse historiam probat Gabriel Ponellus
ex 65. *Historicis & Chronicis Pontificiis* in tract. de Antichrist.
lib. 1. c. 27. Th. 7. Conf. Cælius Rhodig. A. L. lib. 14. c. 1.

Quæst.

Quæstio III.

An Virtus Heroica etiam in spuriis cadat?

Licet admodum abjecta & contemptibilis fuerit nothorum conditio apud Judæos V.T. ut patet ex Deut. 23.2. Sap. 3.16. Eccl. 23.32.33. Deum tamen & hos aliquando heroicis donasse ingenii, qui natalium labem virtutis excellentiâ & splendore sive occultarunt sive abstulerunt, in proposito est. Talis fuit *Jephthes*, cui spiritus quoque Jehovæ adfuit Jud. 11.30. Talis *Themistocles*, *Romulus*, *Johannes de Austria*, *Elisabetha Regina Angliæ* & alii, de quibus consule *Zwinger*. in theat. Vit. hum. volum. 3. fol. 1059.

Quæstio IV.

An virtus Heroica in medio consistat?

Affirmamus ob sequentes rationes, desumptas i. à *Genere* quia est Virtus, quæ in mediocritate consistit. Jam quicquid est de essentia virtutis, id ab ea separari nequit. 2. *Ab objecto*, quia versatur circa affectus. 3. *Ab opposito*. Ubi extrema, ibi & medium. In Heroica virtute sunt extrema. E. Pro solutione dubiorum notanda est distinctio inter Virtutem Heroicam, *absolutè, ratione sui: & comparatè, respectu harum virtutum*, quarum est excellentia, consideratam. Priori, non verò posteriori modo virtus quoque heroica est posita in mediocritate.

Atque hæc sufficiant, quæ pro ingeniali nostri modulo, temporis opportunitate, curtae supellec̄tilis & chartæ ratione in apicum producere decrevimus. Reliqua in palæstram Disputatoriam reservantes, Deum infinitæ virtutis & misericordiæ supplices oramus, ut virtutum charismata nobis donet proprius, quibus Ecclesiæ & Reipublicæ prodesse queamus.

HUIC SOLI DEO GLORIA.

Ζητήματα παρεγγός adjecta.

1. An Anima sit in corpore tanquam in loco? Negamus contra Timplerum lib. i. Empsycol. c. i. probl. ii.
2. An propria comunicari possint? Aff. contra eundem suosque Contribules.

F I N I S.

Ung. VI 34



3


Slc.

V317

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres



E JESU,
ADEMICUM,
HEROICA,
a Philurea,,
Autoritate
is Philosophicæ,
SES
S LANI, Hung.
ex Captivitate
liberatus
IDENTE
Stolbergâ-Misnico,
ol. Cultore.
ophorum Censuræ
objicit,
e Christianæ
LXXVI.
sis Septembris.

P SIAE,
WILHELMI KRÜGERI.

hab. 2765